

REVTLINGENSE.

8

Salve iterumq; vale: manet indelebile nomen
Vsq; tuum Ludouice mihi charissime Princeps,
Tu pater alter eras Reütlinga maximus vrbis
Defensor pro more patrum Ludouice tuorum
Nam Reütlinga fuit trecentos circiter annos
Sub Wirtembergis Dominis Tutoribus olim,
Tutricem quoniam Comitissam fortibus ausis
Heinriettam coluit claris natalibus ortam
Heinrico genitore satam de rure paterno
Mompeligartensi (gentis Comes ultimus ille est)
Quem bello egressum Burgundia castra secutum
Fortis Ioannis Lysorumq; orbe remoto
Vastantem terras, crudelibus obruit armis
Incautum: & multis alijs cum millibus hostis
Baiazeta ferus pallentes misit ad umbras,
Hic vbi Nicopolis stat mœnibus ampla vetustis.
Sic Heinrieta Comes super athera coniuge rapto
EBRARDO: his terris Sueuorum praesuit aruis
Reütlingaq; fuit Tutrix simul optima Fautrix
Nulle quadringentos mundus numerauerat annos
A nato Christo lustris tribus inde peractis:
Hinc merito Reütlinga suum de sanguine natum
Wirtembergiaco Tutorem suscipit almmum,
Qui Mompelgarto nuper Successor, & heres
Legitimus nostras Fridericus venit in oras,
Et bene sectatur vestigia magna parentum
Ac pia consequitur Maiorum facta suorum
Siue fidem spectes, seu Relligionis honorem
Magnanimiq; Ducis seu spectes pectora, & arma.
Quantus enim vel qualis erit Dux inclytus Heros
Wirtembergiacis Princeps Fridericus in oris,
Id secum bona fama feret: pia facta loquentur,

Reutlinga sub
tutela VVirten-
bergicorum prin-
cipum floruit
300. Annis,
Nam Eberhard.
Greinerus fuit
primus Anno
1360.
Heinrieta Comi-
tissa Mompeli-
gartenfis Hein-
rici vltimæ suæ
familia relicta
filia Tutrix fuit
ciuitatis Reut-
lingensis Anno
1415.

1415.

1593. die 14. Au-
gusti Fridericus
Dux VVirtem-
bergicus.

Atq;